

divisorem supervos? Et Paulus ait Philip. iij. Nos
stra politia in cœlis est. ij. Corinth. x. Arma militiæ
nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad de-
struendas cogitationes &c. Ad hunc modum discer-
nunt nostri vtriusq; potestatis officia, & iubēt vtramq;
q; honore afficere & agnoscere, vtramq; Dei donum
& beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladij,
hanc non habent Episcopi ex mandato Euangelij,
sed iure humano donatam a regibus & imperatori-
bus, ad administrationem ciuilem suorum bonorum.
Hæc interim alia functio est quam ministerium Euang-
elij.

Cum igitur de iuris dictione Episcoporum quæ-
ritur, discerni debet imperium ab Ecclesiastica iuris
dictione. Porro secundum Euangeliū, seu vt loquun-
tur, de iure diuino, nulla iuris dictio competit Epi-
scopis, vt Episcopis, hoc est, his quibus est commis-
sum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remit-
tere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctri-
nam ab Evangelio dissentientem rejicare, & impios,
quorum nota est impietas, excludere a comunione
Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario,
& de iure diuino, debent eis Ecclesiæ præstare obedi-
entiam, iuxta illud, Qui vos audit, me audit.

Verum cum aliquid contra Euangelium docent
aut statuunt, tunc habent Ecclesiæ mandatum Dei,
quod obedientiam prohibet, Matth. viij. Cauete a
Pseudoprophetis, Gal. i. Si Angelus de cœlo aliud
Euangelium euangelizauerit, anathema sit, ij. Co-
rinth. xiiij. Non possumus aliquid contra veritatem,

F iij sed pro